

LACRIMÆ,

quas  
Super festinatâ & immaturâ morte  
*Nobilissimi pereximii & summa spei JUVENIS*

DN. ALBERTI  
à DASSELN,  
Patricii Lunæburgensis.  
*ex singulari animi condolentiâ fundunt*  
COMMENSALIS.



Am ver purpureum, flores quo flumina circum  
Fundit humus, vario prata colore rubent.  
Mox florere vides, mox flos succisus aratro  
Languescit, collo lilia lassa jacent.  
Sic quoq; DASSELIUS mediæ sub flore juventæ  
Occidit iste suum (proh dolor!) ante diem.  
Dulcis AMICE jaces, & svavi florida vere  
Membra superjectâ jamq; tegentur humo.  
Noster AMICE jaces, quem clarum nomen Avorum,  
Quem magnum probitas ingeniumque facit.  
Ah! Ah! marcescunt albenti pectora lacte  
Et non calcatâ candidiora nive!  
Sed jam de gelido quid tandem corpore restat?  
Ossa, cinis, pulvis, nomen inane, nihil.  
Scilicet omne suos reperit, repetetq; recursus,  
Et gaudent reditu singula quæq; suo.  
Terra tulit cunctos, cunctos quoq; terra resolvit,  
Mutat & in cinerem, quod cinis ante fuit.  
Sic est: nigra dies, diræ & vehementia Mortis  
Artibus heu! cunctis non remorata venit.  
Illa manet servos, dites manet illa Tyrannos,  
Illa manet juvenes, & manet illa senes.  
Jure igitur nostro lacrimas libamus AMICO,  
Et veris elegi fletibus ora rigant.  
Sed vani planctus: querulas traducere voces  
In fletum vanum est: vanaq; cuncta manent,  
Noster DASSELIUS, cœlesti sede receptus,  
Sub pedibus nubes astraq; clara videt.  
Gaudia nos maneant defunctos tanta, precamur.  
O Pater, hoc jubeas (nam potes) esse ratum.

LACRIMA

Super fontibus de imperio, etc.

DN. ALBERTI

DASSLENI

Patrii Iudaeorum

COMMENTARII

IN IUDAEORUM LEGEM

Am et dicitur, etc.

Primum in libro, etc.



Primum in libro, etc.

IN IUDAEORUM LEGEM

ROSTOCKI, etc.